
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

9

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER LAWLOR,

HIBERNUS:

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOC. EXTRAORDINAR.

NECNON


SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC. HON.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.



EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.



MDCCCI.

VIRO AMPLISSIMO

NOBILSSIMOQUE,

VALENTINIO,

COMITI DE KENMARE,

ET

BARONI DE CASTLE ROSS ;

PLURIMIS ANIMI DOTIBUS EXIMIIS,

MORUM COMITATE,

ERGA GENUS HUMANUM BENEVOLENTIA,

INSIGNI ;

AMICIS PARITER ATQUE CLIENTIBUS CARO ;

OB

INNUMERA BENEFICIA,

IN SE SUOSQUE SÆPE COLLATA ;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PEREXIGUUM ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. C.QUE

ALEXANDER LAWLOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

NECNON,

DANIELI CRONIN,

ARMIGERO,

AMICO ET CONSANGUINEO

DILECTISSIMO,

AMORIS TESTIMONIUM QUAEVCUNQUE,

SACRUM VULT

ALEXANDER LAWLOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

FEBRES intermittentes eæ sunt, in quibus perfecta integritas, sive apyrexia, plus minus diuturna, inter accessiones occurrit. Temporis spatium inter unius paroxysmi finem et proximè insequentis initium interpositum, *intermissio* nuncupatur; idque, quod inter unius paroxysmi et alterius initium intercedit, *intervallum* audit.

A

Prout

Prout intervallum plùs minùs diuturnum est, intermittentes in diversa genera distrahuntur. Sic, quum morbi accessio vigesima quarta quaque hora occurrit, *quotidiana* denominatur. Sed, si solummodo quadragesima octava quaque hora occurrat, *tertiana* nuncupatur. Demùmque, ea, in qua redit morbi accessio quovis horarum septuaginta duarum spatio, *quartanæ* nomen adepta est. Atque hi tres typi sunt usitatiores quos intermittentes servant. Verùm aliæ, intervallo longè diuturniori insignitæ, a scriptoribus describuntur; atque hæ *quintanæ*, *sextanæ*, *septanæ*, *octanæ*, *nonanæ*, appellantur. DE HAEN autem et PLINIUS febres hujusmodi etiam annuas non defuisse testantur*.

Porrò, pro paroxysmorum reditus, diuturnitatis vehementiæque variatione, aliæ quoque divisiones excogitatae sunt: Sic, quando

paroxysmus

* Vid. BURSERII Institut. Med. Pract.

paroxyfmus ultra horas duodecim producitur, Tertianæ Spuriæ nomen ei indictum est. Ubi morbus revertitur quotidie paroxyfmis imparibus, alternatim mitibus et feveris, Tertiana Duplex cognominatur. Quum morbus quotidie revertitur, paroxyfmis uno die binis, altero unico tantùm, Tertiana Triplex tunc est denominandus. Quum morbus revertitur paroxyfmis quarto quoque die binis, diebus interjectis nullo, Quartanæ Duplicis nomen adipiscitur. Quum invadit morbus paroxyfmis quarto quoque die tribus, intermediis diebus nullo, Quartanam Triplicem agnoscimus*.

Quoniam hujusmodi febres vere et autumnino frequentissimè grassantur, in *vernales* et *autumnales* eas deduxit SYDENHAMUS; quarum illæ à Februario ad Augustum, hæ ab Augusto usque ad Februarium extenduntur; atque

* CLEGHORN. HOFFMAN.

atque observandum est, tertianas atque quotidianas vere, quartanas autumnno, frequentius occurrere.

Porro ordinatæ sunt intermittentes secundum symptomata morbosve anomala quibuscum interdum complicantur. Sic, quando diversorum viscerum dolores vel morbi comitantur, *apoplecticæ, spleneticæ, hepaticæ, nephralgicæ, &c.* appellatæ sunt*. Verum hæc distinctiones paulò subtiliores videntur, et nihil utilitatis secum in praxi afferre possunt; quoniam uniuscujusque morbi curatio pro symptomatis variis, quibus identidem stipatur, varianda est: qualis autem et quanta hæc variatio esse debeat, a medentis judicio necessariò pendeat.

Est ubi paroxyfmi se invicem tam rapidè excipiunt, ut nulla vera intermissio succedat, quoniam solùm occurrit symptomatum im-

minutio

* SYDENHÁM. MACBRIDE. SAGAR.

minutio temporaria, sive, quod vulgò dicitur, remissio. Hujusmodi febres *remittentes* nuncupatae sunt.—Atque hæc de typis febris satis sint. Jam ad morbi historiam nos convertamus.

EXIMIUS CULLENUS febres intermittentes sic brevi definit :

“Febres, miasmate paludum ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexia, faltem remissione evidente interpositâ, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constantes : paroxysmo quovis die unico tantum.”

Idem hæc febres in tria genera distinxit : verum quoniam omnes ab iisdem causis proveniunt, ab iisdem debellantur remediis, crebroque in se invicem transeunt, in hac dissertatione pro ejusdem morbi varietatibus ea habebo.

MORBI HISTORIA.

FEBRIUM intermittentium paroxysmum insigniunt stadia tria ; nempè, *frigoris, caloris,* et *sudoris*, quorum uniuscujusque brevem explicationem exarare videtur.

Principio conqueritur æger de languore, lassitudine, totiusque corporis debilitatis sensu, comitante crebrâ oscitatione atque pandiculatione. Palescunt vultus extremitatesque, præsertim autem nasi apex, digiti et ungues. Contrahitur vultus, et universi corporis moles imminuitur. Hæc symptomata excipiunt horror et tremor, præsertim maxillæ inferioris, frigorisque sensus, quamvis corpus reverà calidum sit ; nausea, interdum vomitus ; sitis inexplebilis ; quibus deinceps succedunt dorfi, membrorum, capitisque dolores, quos stipat difficilis et anxia respiratio, quandoque
tussis.

tussis. Rebus ita sese habentibus, pulsus celer, debilis, parvus et rarus est, et ob corporis tremores vix numerari potest. Urina limpida est, nihil demittit; lingua albida est, alvusque plerumque per totum paroxysmum dura esse consuevit. Stadium hocce ex horæ quadrante duas vel tres horas durat, raróque excedit.

Stadio frigido paulatim remittente, ei succedunt calores subiti, deinde ardor vix tolerandus. Arteriarum pulsus pleni, validi, duri et æquales fiunt; respiratio minùs difficilis, verùm adhuc anxia est; vultûs totiusque corporis redit pristinum volumen, imò sæpe magis iusto rubescunt et turgescunt. Capitis dolor, est ubi delirium, supervenit. Cruciat sitis, et urina coloris fusci rubri existit.

Postquam stadium calidum horam unam vel alteram, vel etiam diutius, manserit, tum erumpit humor, primùm fronte, paulatinque

fudor

sudor plenus per universum corpus diffunditur. Manente sudore, omnia symptomata mitescunt, et tribus quaterve horis elapsis, omnino decedunt. Pulsus mollior et rarior evadit; respiratio liberior; urina hypostasin demittit; accedit somnus, omnesque actiones ad conditionem naturalem redeunt, solum relicto debilitatis sensu. Certo præterito intervallo, eadem recrudescunt symptomata, et, modò magis, modò minùs diuturna, eundem servant ordinem.

Atque hæc sunt præcipua symptomata quæ in intermittentis paroxysmo exeruntur: Sed varia stadia vi et diuturnitate sæpe variantur, docente indefesso BURSERIO aliisque. Verùm plerique notârunt scriptores, quartanæ stadium frigidum cæteris diuturnius graviusque, paroxysmum autem ipsum breviorum esse; tertianæ verò idem stadium mitius breviusque, paroxysmum diuturniorem; denique quotidianam stadio frigido mitissimo brevissimoque,

moque, paroxysmo autem maximè producto, insignitam esse.

Quum morbus lethalis est, ægerque primæ ejus accessioni haud succumbit, mors interdum accidit præsentente paroxysmo frigido, sæpius autem calido; morbusque ipse ut plurimum mox ante horam supremam varius sit.

SECTIO CADAVERUM.

VENTRICULUS, intestina, omentum et mesenterium aliquando inflammata reperta sunt, vel colorem fuscum præ se ferunt; est ubi verus sphacelus ea corripuit. Omentum et mesenterium quandoque tabe confecta videntur, alias in iis formantur tumores. Venter atque intestina sæpe mole augmentur, atque in variis canalibus alimentarii partibus constrictiones præter naturam existentes inveniuntur. Vesica fellea plerumque bile tur-

get, et copia ejusdem solito abundantior in ventriculo atque intestinis adest. Sæpe induratur et ampliatur hepar; interdum immittitur, et albidi coloris fit. Pancreas quoque auctum, et sæpe induratum, invenitur. Lien frequenter major fit, quandoque complurium librarum gravitatem æquat: Aliàs, sanguinis coagulati massam, membranâ vestitam, quàm partem organicam magis refert. Interdum morbo corripuntur viscera thoracica. Pulmones atque pleura sæpe inflammationis vestigia exhibent; imò illi quandoque molles et gangrænosæ existunt. Caput in morbum rariùs trahitur*.

CAUSÆ AD MORBUM PROCLIVITATEM GIGNENTES.

CAUSARUM hujusce morbi prædisponentium præcipua habetur debilitas universa †, quam

* CLEGHORN. MORGAGNI de sed. et caus. morb.

† WILSON "on Fevers."

quam inducere possunt morbi prægressi, animi pathemata deprimentia, cibus tenuis e plantarum genere petitus, exinanitiones eximæ, frigido humidoque corporis aëri expositio, &c. Mirum in modum homines, intermittentes olim perpeffos, eisdem postea admodum proclives existere.

CAUSÆ EXCITANTES.

INTER omnes scriptores convenit, febrem intermittentem locis palustribus endemicam propriam esse. Rem ita habere vel inde patet, quod in comitatu Lincolnensi, plagisque humidis similibus, nullus morbus frequentiùs occurrat. Prope aquas stagnantes, præsertim tempestate calidâ prævalente, ad eò crebræ occurrarint, ut Endemicæ tunc nuncupantur. In Ægypto, quum Nili aquæ intra alveum se iterum receperunt, relictis circumjacentibus, limo plurimisque rebus animalibus vegetabilibusque

libusque putridis obductis, febres hujusmodi magnâ vi graffantur*. Idem observatum est in locis humidis, in Italia, in utraque Carolina, in Virginia, demûmque in Jamaica †. Plura argumenta huc spectantia adducere, supervacaneum foret. Hinc patet, non humorem solùm hunc morbum gignere, verùm effluvia peculiariora, sive paludum miasmata, quæ a stagnis, præsertim solis ferventis radiis infestantibus, oriuntur.

De modo, quo hunc morbum gignant hæc miasmata, quamvis hæctenus plurimum dissectatum sit, rem adhuc multâ caligine obrutam esse, fatendum. Neque hujusmodi miasmatum natura unquam detecta est. SMITH ea nihil nisi *gas azoticum* esse opinatur. Dr FRANKLIN autem eadem *gase hydrogenoso* constare ratus est. Res est admodum dubia, et

multa

* BRUCE'S "Travels."

† PRINGLE'S "Army Diseases." JACKSON "on Fevers."

multa priùs discenda sunt quàm aliquid certi de ea decernere nobis liceat. Nonnulli scriptores haud parvi nominis, contagionem huic morbo originem præbere autumant; contrà, alii, quorum auctoritas haud minor est, hoc unquam fieri negant. BURSERIUS medicus, in morborum historiis tradendis alioquin cordatus, nullas febres contagiosas existere affirmat. Pauci verò huic opinioni singulari accedere possunt; quoniam ei experientia quotidiana obstat.

CAUSA PROXIMA.

INTERMITTENTIUM, vel cujuscunque febris, causa proxima medicorum in omni ævo ingenium effugit: namque unusquisque nosologus aliquam causam peculiarem sibi effinxit. Bilem in ventriculo et intestinis nimis abundantem, febris causam habuerunt omnes scriptores antiqui. Bilis autem non modò magnâ
copiâ

copiâ accumulatur in iis visceribus, uti in cholera morbo, verùm etiam universæ sanguinis massæ admiscetur, quod in ictero accedit, quin ulla febris sequatur. SYDENHAMIO fuit persuasum, *materiam febrificam* in massam circuegentem inferri, ubi mutationes peculiare efficit, quibus iterum foràs expellitur.

Nulla verò in sanguine mutatio observata est, quæ a vasorum sanguiferorum actione, vel a conditione viscerum chylopoëticorum turbata, derivari non potest. Verùm etiam, si talis fuerit mutatio, causa remota, non proxima, tunc effiet*.

Hypothesin, quæ deinceps attentionem sibi vindicavit, in medium protulit BOERHAAVIUS; qui opinatus, ob *lentorem*, sanguinem in vasis extremis stagnare, corque ob solito majorem

* Vid. SYDENHAM. Oper.

jorem fluidi nervosi illuc delati copiam, ad actionem adauctam et inordinatam incitari*.

Aliam theoriam olim excogitavit HOFFMANNUS, quam deinceps magis absolutam reddidit CULLENUS. Is enim opinatur, causis febris remotis applicatis, cerebri vim imminui, omniumque actionum, præsertim autem vasorum minimorum, debilitatem creari. Porro, talem esse corporis naturam, ut hæc debilitas genus sanguiferum eventu incitet; unde, studio frigido, spasmusque inde pendente, interposito, cordis arteriarumque majorum actio intenditur, manetque donec cerebri vim restituat et ad vasa summa propaget. Sic enim redintegatur eorum actio, spasmusque, quo afficiuntur, debellatur: quo sublato, sudoris excretio, cæteraque vasorum excernentium relaxationis symptomata, sequuntur. Utrum hæc theoria firmiori talo, quàm suprà citata,

* Vid. BÖERHAAV. Aph. 581. 598 et VAN SWIET.

citata, fiet, solummodo temporis progressu constabit.

Dr Wood, medicus Novicastrensis, aliam opinionem, hactenus citatis non minùs conjecturalem, nuper amplexus est. Is igitur autumat, febrem carbonii et hydrogenii accumulationi, ideóque oxygenii imminutioni, irritabilitatiquæ exhaustæ, originem præbere. Verùm etiam si isthæc elementa in febris statu prævalerent, accumulatio hujusmodi ab aliqujus hominis pulmonum structura peculiari pendeat, necesse est. Igitur potiùs effectus, quàm causa, febris erit, atque causis ejus remotis accensenda est.—Ex brevi hacce diversarum opinionum, quæ diversis temporibus in medium prolatae sunt, enumeratione, cuius nulli doctrinæ præ cæteris, nisi quæ veritatis fundamento infistit, addicto, facilè patet, earum nullam febris causæ proximæ explicationem rationi consentaneam reddere. Atque ob symptomatum quæ in hoc morbo occur-

runt,

runt, complicationem, probabile videtur, donec corporis leges meliùs sint intellectæ, nullam explanationem præberi posse. Quoniam, igitur, de causa proxima nihil certi decerni potest, ratio symptomatum, quæ ab ejus notitia facilè proficeretur, æquè incerta sit, oportet.

PROGNOSIS.

IN regionibus temperatis, febres intermittentes, si cum aliis morbis non conjunctæ occurrunt, cujusmodi sunt *dysenteria*, *viscera scirrhusa*, vel *hydrops*, eventu felici finiri consueverunt: verùm quum his malis stipatæ adorianur, prognosis admodum infausta est, morbus plerumque lethalis evadit. Quæ tempore vernali accidunt, minùs periculosæ sunt quam autumnales*.

C

fausta

* SYDENHAM.

fausta quàm tertiana ; tertiana autem magis quàm quotidiana, quæ majus periculosa fit quò majus paroxyfmi fe invicem anticipant.

Symptomata fausta a scriptoribus plerumque recensita, sunt, paroxyfmorum ratione temporis quo invadunt, et stadiorum diverforum diurnitatis, æqualitas ; diverforum stadiorum duratio ultra horas duodecim haud extensa ; intermissionum tempore ægri valetudo ferè eadem quæ solita ; circa os pustularum eruptio quum jam febris sese remittere videtur.

Contrà, symptomata infauſta sunt, paroxyfmi incertis temporibus redeuntes, et uniuscujusque stadii diurnitatis variatio ; paroxyfmi circa tertiam quartamve morbi periodum multò diurniores facti ; coma, delirium, magna anxietas, hypochondriorum vel epigastrii dolor ; intermissionum tempore, summa virium prostratio, anorexia et vertigo ; epistaxis ; materie nigricantis vomitus ; sudores

dores colliquativi; diarrhœa; urina fœcesque inconscio ægro redditæ.

Ex horum symptomatum consideratione facilè colligitur eventûs judicium, quod, prout plûs minûs vehementia atque diuturna sunt, faustum vel infaustum erit.

METHODUS MEDENDI.

INTERMITTENTIUM curatio duplex est; alia paroxysmis, apyrexixæ alia, accommodata. Illa solùm morbi symptomata mitiora reddit; ab hac autem reverà pendet medela.

PRÆSENTE PAROXYSMO MORBI TRACTATIO.

In intermittentis paroxysmo, duo consilia implenda sunt.

Imò, Stadio frigido præsenste, calidum accelerandum est.

2dò,

2dò, Stadio calido præfente, promovendum est fudoris ftadium, five crifis.

Quum primùm adoritur ftadium frigidum, æger in lecto detinendus eft, ftrogulisque tegendus, et dummodo nulla ad diathefin inflammatoriam proclivitas adfit, potus tepidus leniter ftimulans adminiftrari debet*. Verùm fi hujufmodi proclivitas adfit, omni cura evitandus eft, et in ejus locum fubeant liquores blandi et tepidi. In morbo benigno, nullo alio auxilio opus eft; gravioris autem folutio, variis remediis mox enumerandis tentanda eft.

Ad ftadium calidum accelerandum nihil magis valet emetico. Exhiberi debet quum primum inchoat ftadium frigidum, fi non fuerit adminiftratum ante paroxyfmi accelfionem, quæ fæpe fic arcetur. Cæteris præftat antimonium tartarifatum. Plerumque
duo

* WILSON "on Fevers."

duo vel tria ejus grana in totidem aquæ unciis solvuntur, cujus cochleare magnum inter decem minuta iterandum est, donec effectus fecutus fuerit. Alvi purgatio in stadio frigido nocet *; verùm sanguinis detractio nullum locum habet. Vesicantia quoque, si adsit coma vel delirium, in stadio hocce idonea reperiuntur. Quum hæc symptomata admodum urgent, abrafo capiti vesicatorium imponendum est.—Atque hæc sunt remedia præcipua stadio frigido accommodata.

Adventante calore, omnia quæ irritationem gignere possunt, summâ diligentîâ evitanda sunt. Causa irritationis frequentissima est bilis in ventriculo atque intestinis collecta, alviq; durities. Prior emetico elicienda est, si hoc in stadio frigido non adhibitum sit: posterior lotionè subter datâ leniter stimulantî, sennæ infuso et quovis sale neutro conflato, amovenda

* PRINGLE, " Diseases of the Army," p. 200.

amovenda est. Cathartica, quippe quæ per-
spirationem minuunt, ideòque paroxysmum,
protrahunt, abigenda sunt*. Diluentia frigi-
da, quæ ægro admodum grata et utilia sunt,
concedi debent, calorque moderatus adhiben-
dus. Demùm, in fronte humore exorto, po-
tus tepidus esse debet.

Quum stadium calidum vehemens sit, sta-
dium sudoris, diaphoreticis accelerare tentan-
dum est. Horum præcipua sunt doses anti-
monii tartarifati, et remedii *James's-Powders*
dicti, nauseam creando habiles. Utrique ad-
jici potest opium; vel opium per se, ad stadi-
um calidum brevius reddendum, apprimè va-
lere interdum repertum est.

MORBI

* WILSON "on Fevers."

MORBI CURATIO, APYREXIÆ TEMPORE ADHI-
BENDA.

Intermittentium curatio, apyrexiae tem-
pore adhibenda, quoniam inde reverà pendet
morbi medela, longè maximi momenti est.

Indicationes binæ sunt ; nempe,

1mò, Vires restituere.

2dò, Paroxyfmi reditui occurrere.

Priori inferviunt diæta et exercitatio ido-
nea ; posteriorem autem implent medicamen-
ta.

Cibus fit nutriens et concoctu facilis : caro
pinguis, fumata, vel rancida, vegetabiliaque,
cauté vitari debent ; et in eorum vicem fuffi-
ciatur caro agnina, vitulina, vel pullina, unà
cum farinaceis. Potus fit vinum rubrum
aquâ commixtum, vel liquor fermentatus *por-
ter* Anglicè dictus ; vel, fi eis anteponantur,
spiritus

spiritus destillati, aquâ bene diluti, intra certos limites concedendi sunt. Uno verbo, ea victûs ratio adhiberi debet, quæ maximè nutrit, minimè irritat. Cujuscunque generis cibus fit, pastûs intervalla brevia sint, oportet; vel, aliis verbis, æger non multum alimentum uno tempore ingerere debet, sed potiùs partitis vicibus cibum parcum assumat. —Atque hæ sunt regulæ generales de diæta apyrexix tempore adhibendæ.

Exercitatio ægri modica fit, oportet; et gestatio, qualis navigatio, equitatio, &c. cæteris modis anteponenda est. SYNDENHAMIVS et WHYTT equitationem magnis laudibus effert, quoniam ea corpus forsan minùs fatigant magisque concutit quàm ullum aliud exercitii genus, et imprimis ventriculi tonum restituendo habilis invenitur. Præterea, dum convalescens hujusmodi gestatione utitur, animus ejus multùm delectatur attentionem quam equorum moderamen requirit;

nihil

nihil enim magis debilitat quàm mens nullo omninò negotio occupata.

Omniùm remediorum, quæ februm intermittentiùm curationi accommodantur, nullum tam universim adhibitum est quàm LINNÆI *cinchona*, sive cortex Peruvianus. Huic quidem remedio plerique prorsùs confidunt, neque aliundè morbi medelam derivare sperant.

Cortex Peruvianus astringens et amarum medicamentum est, et aliquantum aromatis continet; sed virtus ejus eis attribui nequit, quoniam nulla harum complicatio eundem effectum præstare reperitur. Quum igitur cinchonæ modus operandi adèd lateat, a nonnullis in intermittentiùm medela *vi specificâ* agere creditum est. Olim opinio valebat, remedium hocce nunquam nimis laudandum, hydropi et viscerum obstructionibus originem præbere; verùm hujusmodi præjudiciùm jam prorsùs abactum est, atque hæc mala non am-

plius pro remedii effectibus, sed morbi ipsius sequelis, hodie æstimantur.

Hoc remedium adhiberi debet tantis dosibus, quantas perferre potest ventriculus. Ab ejus ℥i. ad ℥ss., quâque horâ administrari potest, incipiatque æger octo vel decem ante paroxysmi expectati accessionem horas; vel quando brevis intermissio accedit, sub stadii calidi finem initium fiat: donec quantitas ab uncia una ad duas assumpta fuerit, vel ex vino rubro, vel ex eo *claret* dicto, vel ex spiritu *destillato* aquâ fatis diluto, assumi potest. Si ad diarrhœam creandum propendeat, ei adjiciendæ sunt decem undecemve laudani liquidi guttæ; vel si nauseam et vomitum gignat, quinque vel decem grana aromatici cujusvis, putà pulv. aromat, vel pulv. nuc. moschat., &c. cum cinchona jungantur.

Quando ventriculus delicatior est, et nullius horum auxiliorum ope corticem retinere potest,

potest, ejusdem infusum vel extractum adhibeatur, vel etiam per anum injiciatur.

In universum, in intermittentium curatione scire expedit, evacuationes ægrum debilitare, et cautè admodum adhiberi debere, nisi systematica incitatio sit magna; ideòque sanguinis detractio nem rarò, si unquam, in intermittibus idiopathicis ubi nulla inflammationis topicæ signa adsunt, necessarium esse.

Dr CLARK docet, unumquemque ægrum, febre intermittente laborantem, quem ipse tractavit, post sanguinis missionem ad plures descendisse.

Quum omnia alia remedia secus processerint, Dr FOWLER arsenicum proponit. Dosis constituunt sex vel septem ejusdem solutionis guttæ; quæ decimam sextam circiter grani partem continent. Hæcce dosis ter in die iterari, et pro re nata identidem augeri, potest.

Dr

Dr MACLEISH, artem chirurgicam in Corsica olim exercens, hunc morbum opii usu feliciter tractavit; incepit præscribendo tres vel quatuor opii puri grana pro dosi, tres horas ante solitum paroxysmi reditum, exhibenda; postea dosin gradatim auxit ad grana duodecim, quo amplius nunquam præscripsit, etsi nullum incommodum consequi testificatur. Eventum certius et citius faustum esse observavit, si cortex Peruvianus, jam sat diu assumptus, effectus optatos non præstabat.

Inter remedia in curatione febrium intermittentium exhibita, zincum vitriolatum, in dosibus sat amplis, enumeratur, sicuti morbi resolutionem aliquando obtinens.

Dominus KELLIE, chirurgus, pluribus experimentis comprobavit, quod, si, in stadio frigido, ligaturæ, Anglicè dictæ *tourniquets*, alterutri extremitatum applicandæ sint, ita ut circulationi impedirent, inter tria momenta

stadium

stadium calidum consequeretur; vel si adhibita sint, statim ante paroxyfmi accessionem, omnino adventui ejus obstabunt: insuper dicit, quod, si, hoc modo, stadium frigidum aut imminuitur, aut forsitan non omninò adoritur, stadium sequens aut mitius, aut duratione minus, exindè evadere. Hæc experimenta proculdubio maximi momenti erunt, quando aliorum experientia confirmabuntur.

Morbo fugato, in usu corticis Peruviani perseverandum est per aliquot hebdomadas, dosi simul gradatim imminutâ.

Diæta ex jurulentis, ex carnibus impuberum animalium, et ex potu meraciori, constare debeat.

Exercitium modicum et in aprico loco esse, oportet: vestitum, qualis eliceat halitum cutis, et non gravet corpus.



INTERMITTENTIBUS

rationem etiam conspiceretur: vel si adhibe-
 re tunc statim ante paroxysmum adhiberentur.
 omnino abstinere eius obsequium: insuper di-
 citur quod si hoc modo statim signum
 aut remaneret, aut fortiter non omnino abo-
 liter, statim sequens aut minus, aut hinc
 ratione minus etiam est. Hinc experi-
 menta praeculibus maxime momenti erant.
 quando aliorum experientia confirmabatur.
 Morbo febrili in utroque tertiana
 per se, etiam est per aliquos hebdomadas
 non nisi gradum immutata.
 Hinc et fortiter, et caribus impube-
 rum animalium, et ex parte superioris, conser-
 vabatur.
 Ex eructum modicum et in apico loco esse
 oportet: restitum, quibus dicitur hinc en-
 tis, et non sicut corpus.

